

piebant, quae absolutissime et perfectissimo modo Petra est Ecclesiae. Id liquet ex modo eorum loquendi. Ita Rabanus Maurus De Universo L. IV. « Petrus a Petra nomen accepit, h. e. a Christo super quem fundata est Ecclesia. *Non a Petro Petra, sed Petrus a Petra nomen sortitus est...* Ideoque ait Dominus, tu es Petrus etc. super hanc, inquit, petram, quam confessus es, aedificabo Ecclesiam meam. Petra enim Christus erat, *super quod fundamentum etiam ipse aedificatus es Petrus.* » Quae verba enphasim continent, ostenduntque sermonem esse de principali Petra. Ita et Paschasius Radbertus L. VIII. in Matth. ad haec verba Christi, ait Petrum dictum a Petra id est a Christo super quem aedificatur omnis Ecclesia... Non enim, subdit, ut quidam male putant, Petrus fundamentum totius Ecclesiae est: quia fundamentum nemo aliud potest ponere etc. I. Cor. III. licet super eodem primus ac si caput Petrus recte positus credatur, tamen in ea petra de qua nomen sibi ex dono traxit. » Patet negari Petro dignitatem Petrae principis, quae propria est Christi, atque hoc tantum sensu affirmare licuit Paschasio male putasse quosdam Petrum esse fundamentum totius Ecclesiae. Speciale quid occurrit penes Augustinum Retract. L. I, c. 21. « In hoc libro (contra epistolam Donati) dixi in quodam loco de Apostolo Petro quod in eo tanquam in Petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait - Hoc ipsa Petra Ecclesiae canente culpam diluit. - Sed scio me postea saepissime sic exposuisse quod a Domino dictum est: Tu es Petrus etc. ut super hunc intelligatur quem confessus est Petrus dicens. Tu es Christus Filius Dei vivi: ac sic Petrus ab hac Petra appellatus personam Ecclesiae figuraret (quam nempe ut caput iuridice repraesentabat: de hac speciali interpretationi postea), quae super hanc Petram aedificatur, et accepit claves regni caelorum. Non enim dictum est illi: Tu es Petra, sed tu es Petrus: petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum duarum sententiarum quae sit probabilior eligat lector. » Vides hęc rationem alterius interpretationis partim esse dogmaticam (quia petra erat Christus), partim philologicam (quia dictum est: tu es Petrus, non tu es Petra): verum si hanc rationem consideres, quae videtur determinasse Augustinum ad eam interpretationem quamvis non sibi certam; ea, ut iam probavimus, nihil est. Si autem sententiam Augustini exquiras, ea nihil habet certi, certum est tamen non excludere interpretationem primam. Facile est tamen advertere Augustinum ab Augustino distingui posse, eum nempe qui intrinsecis adhibitis regulis (quae tamen ipsum fallunt) interpretatur, et qui interpretatur secundum sensum communem Ecclesiae. Prior negat

Petrum esse Petram, alter, ut in locis citatis, ubi non ei occurrit ea animadversio de discrimine nominum Petrus et Petra, vult Petrum esse Petram; iam vero satius est Augustinum sequi interpretantem secundum sensum communem Ecclesiae, quam secundum quasdam leges non satis idoneas. Augustinum Beda exscripsit in Evang. Iohannis c. 21.

VI. *Et portae inferi non praevalent adversus eam.* Quaeritur 1) quid sint portae inferi  $\pi\upsilon\lambda\alpha\iota \acute{\alpha}\delta\omicron\upsilon$ .  $\acute{\alpha}\delta\omicron\upsilon$  penes profanos Scriptores est sedes animarum post mortem: eo vocabulo reddunt LXX hebraicum  $\text{הַרְשֵׁת}$  quod non significare sepulcrum (quod dicitur  $\text{קבר}$  sed animarum post mortem sedem, et praesertim impiorum, extra omnem dubitationem posuisse videtur cl. P. Patrizi (De Interpr. Scripturar. Sacrarum L. II, q. X, art. III, sect. 1. Arg. 2). Porro  $\acute{\alpha}\delta\omicron\upsilon$   $\text{הַרְשֵׁת}$  repraesentatur tanquam civitas, quod ex hoc loco quoque patet; dicitur enim habere portas  $\pi\upsilon\lambda\alpha\varsigma$  quae propriae sunt moenium civitatis; eodemque modo repraesentatur a profanis poetis. Eius incolarum prosopopoeiam habes penes Isaiam XIV, 9-20. Haec est sedes Angelorum malorum et Satanae, qui princeps est eorum Matth. XXV, 41; Apocal. XII, 7; qui Satanas rex est proinde huius civitatis; homines enim ab ipso superati servi eius sunt 2. Petri II, 9. Haec est potestas tenebrarum  $\tau\omicron\upsilon \sigma\kappa\omicron\tau\omicron\upsilon\varsigma$  quod est  $\acute{\alpha}\delta\omicron\upsilon$  a qua nos eripuit Christus Coloss. I, 13; quae pugnat contra Deum, homines excitando ad rebellionem contra ipsum; et iustos persequendo Gen. III, 1. seqq. Ioan. VIII, 44; XIII, 2; Ephes. VI, 11; 1<sup>a</sup> Petri V, 8; 1<sup>a</sup> Ioan. III, 8; Apocal. XII, 9-12; Luc. XXII, 53; cui potestati obsequuntur eiusque ministri sunt homines in terris mali, ii praesertim qui persequuntur iustos Ioan. VIII, 44; Apocalyp. II, 13; III, 9; IX, 11. Iam vero  $\pi\upsilon\lambda\alpha\iota \acute{\alpha}\delta\omicron\upsilon$  tropice significant potestatem hanc. Desumpta est enim haec ratio loquendi ex eo quod penes orientales in portis civitatum iurisdictio exerceretur Deuter. XXI, 19; XXII, 15; XXV, 7; Ruth. IV, 1. seqq. Iob. V, 4; XXXI, 21; Prov. XXII, 22; Isaias XXIX, 21; Amos V, 10. 15. Quocirca per synecdochem portae civitatis significabant potestatem, sive eos qui potestatem habent in civitate. Advertit continuator Lexici Gesenii  $\text{שַׁעַר הַמִּלְךָ}$  esse ipsam arcem regiam Persarum penes Esther III, 2-3; IV. 2. 6; V, 9. 13; VI, 12. Monet quoque Stephanus in suis annotationibus ad Xenophontem (Cf. eius Lexicon v.  $\theta\upsilon\rho\alpha$ ) identidem  $\tau\alpha\varsigma \theta\upsilon\rho\alpha\varsigma$  (quae proprie portae sunt domus) esse ipsam aulam regiam Persarum (cf. et Daniele II, 49); et etiamnum solemus dicere *Porta ottomana* pro aula regia sive imperio Turcarum.

Negat Dr. Langen (ibid. P.I. pag. 11. not.) terminum  $\pi\upsilon\lambda\alpha\iota$  ex usu loquendi aetatis Christi adhibitum fuisse ad significandam vim, po-



testatem. Verum nec nos contendimus terminum illum seorsim sumptum hanc habuisse significationem, sed cum construitur cum termino denotante civitatem aut quid simile, et quidem non contendimus quod id semper significaverit: quis enim neget potuisse dici et dictas fuisse proprio sensu portas civitatis? sed dicimus eam quoque metaphoricam significationem hunc terminum complexum habuisse: et cum portae civitatis repraesentantur ad modum personae, nempe pugnantes et adversantes aliis, nonnisi hac metaphorica significatione accipi posse. Quod vero aetate Christi hanc significationem metaphoricam terminus iste complexus amiserit nescio unde auctor ille didicerit. Certe haec erat metaphora Chaldaeis usitata ut liquet ex Danielis loco citato. Cf. et lexicon. cit. ad v. *כרע*

Docet idem scriptor quod *ἄδης* et *האש* non sit infernus, daemonum et malorum sedes, sed locus obscurus seu regnum mortuorum quo animae conveniebant antequam ad caelos ascenderent: cui interpretationi, saltem prout est exclusiva, repugnat ipse usus vocis *ἄδης* penes profanos, repugnat Isaias l. c., repugnat Christus mentionem faciens potestatis tenebrarum contra ipsum et bonos insurgentis. Vult autem hic auctor quod *portae inferi* non sint nisi *leges mortis*, ut hoc in loco Christus praedixerit nunquam fore obnoxiam legi mortis seu defecturam Ecclesiam. Quod male probat adducta auctoritate Leonis M. ex sermone eius LI, 1 et LXII, 2. qui in secundo loco solum appellat portas mortis, mortem pro inferno accipiens, et in priore simul coniungit portas inferi et leges mortis: aliud porro est ex verbis Christi colligere quod mortis legibus Ecclesia non subiacebit, quod Leo aliique Patres faciunt; aliud affirmare quod sibi adaequate aequivaleant portae inferi et leges mortis, quod nemo Patrum dixit.

Regnum ergo inferi h. e. potestatem eius sive Satanam et Angelos eius cum hominibus impiis pugnatos esse contra Ecclesiam suam praedicat Christus: vis enim et violentia ab inferis adhibenda contra Ecclesiam non ex formula *πυλαὶ ἄδου* sed ex pugna adsignificata verbo *non praevalerunt*, et ex ipsa indole huius potestatis adversariae Christo sanctisque eius colligitur. Simul vero Christus promittit quod non sint hi hostes praevalituri.

Quaeritur autem 2) quodnam sit subiectum ad quod refertur pronomen *eam*, utrum nempe sit *petra* an *ecclesia*. Distinguendus est terminus relationis duplex, alter per pronomen *grammaticae* repraesentatus, alter per ipsum *logice* et realiter connotatus. Si de primo sermo est, cum terminus immediate praecedens sit Ecclesia, ipsa est quam pronomen *eam* grammaticae repraesentat. Verum Ecclesia, de qua haec est sermo, est Ecclesia fundata super petram, firmita-

tem suam nanciscens a petra; si ergo Ecclesia stabilis erit contra impetus inferni, necesse est ut contra eosdem impetus stabilis sit petra, quae firmitatem confert aedificio, ideoque ipsa petra est terminus connotatus, contra quam portae inferi non sunt praevaliturae. Iam vero ea connotatio huc spectat, ut significetur petram causam esse cur portae inferi adversus Ecclesiam non sint praevaliturae. Manifestum est enim Christum se gerere in aedificatione Ecclesiae suae sicut ille vir sapiens, quem ipse describit Matth. VII, 24: Omnis ergo qui audit verba mea, et facit ea, assimilabitur *viro sapienti qui aedificavit domum suam supra petram*. Et descendit pluvia et venerunt flumina et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit; *fundata enim erat supra petram*. Rationem, cur domus resistat contra omnes impetus, repetit Christus a petra supra quam fundata est. Ergo et *petra*, supra quam Ecclesiam suam Christus fundavit, ratio est ex intentione Christi cur Ecclesia stabilis perseveret contra omnes hostiles impetus. Et sane ideo portae inferi non sunt praevaliturae contra Ecclesiam, quia ea est firmum in se ipso aedificium propter petram; a petra enim firmitatem obtinet aedificium: ergo non praevalerunt portae inferi contra Ecclesiam quia fundata est supra petram: ergo petra est ratio cur portae inferi non sint praevaliturae. Hinc Origenes (in Matth. loco superius citato) ad utramque petram et Ecclesiam ad modum unius refert pronomen *eam*. « Quam autem *eam*? an *petram*, supra quam Christus aedificat Ecclesiam? an *Ecclesiam*? ambigua quippe locutio est. An instar unius eiusdemque rei habet *petram* et *ecclesiam*? hoc ego verum existimo. Nec enim adversus *petram*, supra quam Christus Ecclesiam aedificat, nec adversus *Ecclesiam* portae inferi praevalerunt. « Leo autem epist. X Ad Episcopos Provinciae Viennensis c. 1<sup>o</sup> ad Petrum nominatim refert: « Hunc in consortium individuae unitatis assumptum id quod ipse erat voluit nominari, dicendo tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam: ut aeterni aedificatio templi munere gratiae Dei *in Petri soliditate consisteret*; hac Ecclesiam suam *firmitate* corroborans, ut illam nec humana temeritas posset appetere, *nec portae contra eam inferi praevalerent*. »

VII. *Et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis*. Quaestio principalis duplex est, nempe de re seu potestate significata his verbis, et de subiecto cui ea potestas data est. Quaestio prior in has resolvitur 1) quid sit regnum caelorum; 2) quid per allegoriam traditionis clavium significetur; 3) quid sit ligare et solvere; 4) utrum necne discrimen et quodnam intercedat inter id quod exprimitur per verba:



tibi dabo claves, et id quod exprimitur per verba; *quodcumque ligaveris* etc. 5) Quomodo haec altera pars testimonii cum priore iam explicata cohaereat.

Itaque 1) *Regnum caelorum*, quod penes Matthaeum occurrit, idem est ac *Regnum Dei*, quod apud alios Evangelistas ipsumque Matthaeum invenitur. Liquet id ex locis parallelis Matth. IV, 17; Marc. I, 15; Matth. V, 3; Luc. VI, 20; Matth. XIII, 41; Luc. VIII, 10; aliisque. Idem dicitur et simpliciter *Regnum*. Quod enim Marcus I, 14. dixit *Evangelium Regni Dei*, Matthaeus IX, 35. vocavit *Evangelium Regni*. Et sane iam aetate qua Matthaeus scribebat, usus obtinuerat apud hebraeos, ut nomine caeli *שמיים* ipse Deus significaretur. (Lightfootus hor. heb. et talm. in Matth. III, 2. Buxtorfius lex. Chaldaic. v. d.) Porro hoc Regnum Dei, de quo Evangelistae loquuntur, est regnum spirituale, supernaturale, (Cf. cl. Patrizi De Evangeliiis L. III, Diss. 46), quod est Ecclesia Christi. Appellatio vero *regni caelorum* indicat tum eius originem (Cf. Ioann. XVIII, 36; Apocal. XXI, 2) tum sedem regis sui, tum terminum in quem ipsa tendit, qui est vita aeterna, in qua alius status ipsius et eiusdem consummata perfectio sit.

Iam vero quemadmodum nomen regni usurpari potest tum *significatione adaequata* pro ipso regno integre spectato designando, tum *inadaequata* pro designando aliquo ex eius elementis, cuiusmodi sunt potestas regia, populus qui regitur, ditio et regio, administratio et gubernatio, forma ipsa regiminis; ita et nomen regni caelorum, regni Dei sive Christi usurpatur plerumque adaequate secundum universam huius regni notionem, tum inadaequate pro significando aliquo elemento in ea notione contento, unde vel regnum in statu huius vitae, ut frequenter in parabolis, vel ipsum in statu alterius vitae directe significat Matth. XIII, 43; XIV, 34; Marc. IX, 16; 2 Petri I, 11. Dicimus autem in hoc loco Matth. XVI, 19. regnum caelorum supponere directe pro Ecclesia in terris existente; quod sic demonstramus. Etenim manifestum est 1) huiusmodi formulas aptissimas esse ad Ecclesiam a Christo in terris institutam repraesentandam; est enim ipsa regnum Christi, quod per prophetas promissum est (Daniel. II, 44). Manifestum est 2) in Evangeliiis per *Regnum caelorum*, *regnum Dei*, *regnum* frequentissime significari Ecclesiam a Christo in terris institutam. Liquet id ex tot parabolis, quibus idea Regni caelorum exhibetur a Christo, quae non nisi Ecclesiae in terris militanti convenire possunt: tum aptissime ea intelligitur in phrasibus *Evangelium Regni*, *Regni Dei*, *appropinquavit Regnum caelorum*. Praecipue 3<sup>o</sup> manifestum est heic illud regnum significari, in quo potestas ligandi et solvendi exercenda sit;

haec enim, ut videbimus, potestas regia est, quae in aliquo regno est exercenda; quod regnum, propter immediatum nexum verborum nequit concipi aliud ab eo cuius immediate superius mentio facta est, quod dicitur *regnum caelorum*: quia vero haec potestas est exercenda in terris, regnum ergo caelorum illud est quod in terris existit, quod est certe Ecclesia militans. Itaque in verbis Christi *regnum caelorum* optimo iure Ecclesia intelligitur a Christo in terris instituta, de qua superius immediate locutus est.

VIII. Claves domus traditae alicui signum sunt iuris et potestatis in domum ipsi collatae. Phrasid haec occurrit Isaiae XXII, 22. *Et dabo clavem David super humerum eius, et aperiet et non erit qui claudat, et claudet et non erit qui aperiat*. Agitur de Sobna removendo a praefectura quadam, et substituendo illi Eliacimo. Disputatur quae praefectura fuerit, templi an palatii regis? Dicitur enim Sobna esse *על הבית* super domum. Hieronymus in hunc locum censet significari domum Domini, et Sobnam vult esse *praepositum templi*, quem deinde ut Pontificem videtur habere. Cf. Gasparem Sanctium in h. l. Forte probabilior est alia sententia quod *בית* hic sit palatium Regis. Cf., si licet, Rosenmüllerum in h. l. Rursus occurrit ea phrasid Apocal. I, 18. *Ego sum primus et novissimus... habeo claves mortis et inferni*. III, 7. *Haec dicit Sanctus et Verus, qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit*. Manifestum est his in locis per claves potestatem quamdam designari, et quidem eam quae sit in suo ordine princeps, licet alteri eminentiori subordinata et veluti vicaria. Talis fuit potestas Sobnae et Eliacimi; nam praefectura palatii subest per se potestati regis: fuisse eam potestatem tamen in suo ordine principem liquet ex declaratione: *claudit et nemo aperit, aperit et nemo claudit*. At potestas Christi significata per *claves mortis et inferni* (recole dicta superius circa *κλες*) per *clavem David* sive domus aut regni David, nequit esse nisi potestas suprema prorsus et independens. Itaque hac allegoria potestas quaedam princeps significatur: quanta vero sit et quam independens, ex obiecto circa quod versatur, et etiam ex subiecto cui confertur colligi debet.

Claves signa potestatis ex humero suspendebantur; liquet ex loco citato Isaiae, ex quo et alterum eiusdem explicari potest IX, 5. *Puer natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius*. Patet enim hic rem significatam pro signo sive tessera eius poni, quae quidem tessera nulla aptius excogitari potest quam claves quae ex humeris suspendebantur; ut ex Callimacho quoque discimus, qui in hym. in Cererem 44 de ea ait quod *κατωμαδιαν δ'εχε κλαδα*. Unde hac metaphora usus Solymanus



Turcarum imperator respondit legatis Ferdinandi I: *Claves Hungariae suspendam ex humero meo*. Ex allatis exemplis liquet claves metaphorice usurpari pro significanda potestate non tantum domus et civitatis, sed et regni.

Cum ergo Christus promittit Petro se daturum ei claves regni caelorum, potestatem seu principatum quemdam ei promittit. At quanta est huiusmodi potestas? Ea ex obiecto quod clavibus subiicitur, atque ex subiecto cui promittuntur, h. e. *Petrae Ecclesiae*, atque etiam ex dignitate illius, qui confert claves, quocum Petrus comparatur, colligi debet. Sane 1) obiectum obnoxium clavibus est Ecclesia universa, haec enim est regnum Christi: cum per claves traditas potestas seu principatus significetur, instituitur ergo Petrus potestatem habens super universam Ecclesiam: cum vero ea societas sit, in quam potestas non potest esse nisi iurisdictionis; instituitur ergo Petrus princeps universae Ecclesiae. Et re quidem vera, ut ex allatis testimoniis constat, qui claves habet, huiusmodi est, ut si claudat nemo aperire possit, si aperit nemo claudere possit: claudere autem et aperire est universa functio habentis claves: sicut autem per claves metaphorice significatur potestas, ita per  $\tau\omicron$  claudere et aperire metaphorice significatur exercitium eius potestatis, qua instructus est Petrus in Ecclesiam, et per modum claudendi et aperiendi significatur indoles eiusdem potestatis cum se exercet. Iam vero ex his liquet potestatem Petri in Ecclesia esse supremam independentem prorsus ab omni, qui ad Ecclesiam spectat, qui eius esse membrum debet. Etenim potestas habentis claves, quae talis sit, ut possit a) aperire et claudere: b) ut aperiente qui habet claves nemo claudere possit, eo claudente nemo valeat aperire, est potestas quae potest omnes actus qui ad claves spectant, et est potestas a qua pendent omnes qui domum ingrediuntur, et ipsa a nemine pendet. Quare et potestas iurisdictionis in Ecclesiam repraesentata per claves talis erit, ut possit omnes actus qui ad iurisdictionem in Ecclesiam spectant; ut habenti eam omnes in Ecclesia subiiciantur, ipse nemini subsit; ut nemo irritum facere possit quod ipse decernit, nemo legitimum efficere quod ipse irritat.

Idque Christus nobis ob oculos ponere voluisse dicendus est cum Ecclesiam sub formali ratione *Regni* repraesentavit. Si enim traditio clavium significat collationem potestatis in id quod subiicitur clavibus; traditio clavium Regni significat per se collationem potestatis in regnum; quae non potest esse nisi potestas regia, ideoque potestas supremae iurisdictionis.

Si spectetur ille, cui promittuntur claves, is est qui Petra Ecclesiae futurus est, h. e. qui futurus est principium efficax unitatis et

stabilitatis Ecclesiae; huic vero subiecto ea potestas convenit quae sit iurdictio suprema in societate.

Si vero ratio habeatur illius qui claves confert Petro, ipse est Christus, qui est auctor, princeps et dominus Ecclesiae suae; cuius ius et potestas significatur iis verbis Apocal. III, 7. *qui habet clavem David* (h. e. domus vel regni David, quo metaphorice Ecclesia repraesentatur Luc. I, 32), *qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit*. Christus ergo tradens claves Petro communicat ei potestatem suam in universam Ecclesiam, non quidem ea se abdicando, quod fieri nequit, sed eum vocando in consortium suae potestatis, vices suas ei committendo. Idque fecit Christus independenter prorsus a voluntate suorum subditorum, quorum est essentialiter rex supremus et dominus. Itaque Petrus vicaria Christi potestate instructus est in universam Ecclesiam, eiusque potestas pendet quidem a Christo, sed independens est ab Ecclesia, quae ipsi a Christo subiecta est. Potestas ergo Petri in Ecclesiam est potestas Christi cum hoc discrimine, quod Christus est  $\delta\ \epsilon\chi\omega\nu$  claves, eas ex se habens, Petrus eas accipit a Christo; et quia omnes et omnia in Ecclesia subiiciuntur clavibus Christi, ita omnia et omnes subiiciuntur clavibus Petri.

IX. Nunc vis verborum: *quodcumque ligaveris super terram etc.* est enarranda. Itaque animadvertendum est 1) huiusmodi phrasim complexam *ligare et solvere* non nisi bis in universa Scriptura occurrere, nempe heic et seq. XVIII, 18: 2) ligationem et solutionem, de qua est sermo in verbis Christi, non posse spectare nisi ad ordinem moralem qui proprius est entis liberi: 3) ei vinculum quoddam respondere; triplex vero esse vinculum quo ens liberum ligari, et a quo solvi moraliter potest, h. e. *vinculum legis, vinculum culpae, vinculum poenae*. Confer quae diximus in Proleg. §. XIX, n. II.: 4) universalem phrasim *quaecumque ligaveris, quaecumque solveris,  $\delta\ \epsilon\alpha\nu\ \delta\eta\sigma\eta\varsigma\ \delta\ \epsilon\alpha\nu\ \lambda\upsilon\sigma\eta\varsigma$*  non tantum res, sed personas quoque comprehendere; nam receptum est ut cum generalis est sermo, subiectum universale per neutrum indicetur: et praeterea ligatio et solutio vinculi moralis haberi nequit sine persona, quae ligetur et solvatur; cum ergo aliquid ligatur aut solvitur, aliqua persona certe ligatur aut solvitur.

Praeterea considerandum est quod solvente vel ligante Petro Deus ratum habet actum Petri, nec habet ratum aliquo generali modo, sed quatenus ipse Deus solvit et ligat quod solvit et ligat Petrus: *solutum erit, ligatum erit in caelis*. Quo significatur 1° efficacia actus Petri vinculum seu obligationem imponentis vel tollentis: 2° independentia eius ab alia potestate quae non sit Dei; solvente enim aut ligante Deo quae creatura potest irritum eius actum facere?